REGIAE. VNIVERSITATI. LITTERARVM

GEORGIAE. AVGVSTAE

A. D. XV. CALENDAS. OCTOBRES. MDCCCXXXVII.

SACRA. SECVLARIA. PRIMA. FELICITER
PROCVRANTI. EX. ANIMI. SENTENTIA
GRATVLATVR. ATQVE. VT. BONA
FAVSTA. FORTVNATAQVE. OMNIA. EI
OMNEM. IN. AETATEM. PROROGENTVR
VOTIS. PIIS. APPRECATVR

VNIVERSITAS. LITTERARIA
FRIDERICIANA. HALENSIS
CVM. VITEBERGENSI. CONSOCIATA

HALIS. SAXONVM
FORMIS. GEBAVERIIS

M. H. E. Meier

M. R. V.

VNIVERSITATIS. FRIDERICIANAE
HALENSIS. CVM. VITEBERGENSI. CONSOCIATAE
PRORECTOR

ERN. ADOLPH. THEOD. LASPEYRES

CVM. DIRECTORE. ET. SENATV
INCLITAE. VNIVERSITATIS. LITTERARIAE
GEORGIAE. AVGVSTAE
PRORECTORI. MAGNIFICO. ET. SENATVI. AMPLISSIMO
SALVTEM. ET. FELICITATEM. PERPETVAM. PRECANTVR

Apud Graecos satis constat ferias festosque dies non eo tantum spectasse, ut deorum expiarentur religiones pietateque perfungerentur mortales, ut operum et laborum, litium et iurgiorum esset requies et omnes publice quasi ad hilaritatem cogerentur, sed ad congregandos etiam homines coniungendosque et ad animos inter se conciliandos plurimum valuisse [1]. Ita factum est, ut quae feriae sive ἑορταὶ essent, eaedem maximam partem etiam conventus sive πανηγύρεις dicerentur. Neque ea ratio eorum tantum erat sollemnium, quae aut (ut Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia) prae reliquis omnium Graecorum communia putabantur, aut (ut Pamboeotia, Daedala magna, Panachaea, Panaetolia, Panionia, Delia, alia) ad amphictyonias vel ad syntelias civitatium aliquot pertinebant, sed eadem dici potest nonnullarum feriarum fuisse, quae intra unius civitatis terminos continebantur; nam si ab iis recesseris sollemnibus, quae erant aut tribuum, aut pagorum, aut curiarum, aut gentium, aut, ut χαλκεῖα apud Athenienses, collegiorum quorundam propria, reliquae feriae, quae quidem πάνδημοι et δημοτελεῖς erant, non solum cives congregabant, sed maiores certe feriae maiorum civitatium, quae magnum sacrificiorum ap-

---

1) De caussis festorum dierum cf. Isocrat. Paneg. XII. §. 43 sqq. Plat. Legg. II. princ. p. 654. Dionys. H. art. rhet. c. 1. et quos laudant Lobeckius Aglaoph. 684. et interprett. ad Cicer. Legg. II, 12.

paratum, pomparum ornatum visendum et ludorum magnam celebritatem habebant, peregrinos etiam numero multos ad se invitabant, ut Panathenaea, Eleusinia et Dionysia magna apud Athenienses, Hyacinthia apud Spartanos, Heraea apud Argivos, Aphrodisia apud Corinthios, Adrastea apud Sicyonios, Asclepiea apud Epidaurios, Heliaea apud Rhodios et id genus alia. Inter eos autem peregrinos principem locum obtinuisse videntur *θεωροί* [2]), qui Doriensibus *θεαροί* dicebantur, de quibus liceret accuratius agere, si aut Aeschyli tragoedia *θεωροὶ ἢ Ἰσθμιασταί* (de qua erudite commentatus est Welckerus), aut Epicharmi comoedia *θεαροί*, aut Euphronis Comici fabula *θεωροί* extaret. Nominis veriloquium, quod veteres Grammatici commenti sunt, cum ab *θεῶν ὤρα* eius originem derivarent [3]), placuit id doctissimis viris [4]), nobis non placet, neque magis *θεωρόν, θυρωρόν, πυλωρόν, κηπωρόν, ὑλωρόν, σκευωρόν, νεωρόν*, ab *ὤρας* vocabulo derivata dixerimus, quam *τιμωρόν* et *θυωρόν*, quae ab *τιμή* et *θύ* sive *θυηλή* producta esse patet; a quibus plane diversam rationem sequuntur tum *εὔωρος* et *ὀλίγωρος*, tum *τέτρωρος*, *πέλωρος*, id quod accentus discrimen satis docet [5]). Atque *θεωροῦ* verbum ut ab *θέας* voce productum arbitremur, suadet primum *θεωρεῖν* et *θεωρία*, quod de spectando et spectaculo omnibus scriptoribus usurpatum est, uti

2) De theoris data opera disputaverunt Van Dale dissertatt. p. 468 sqq. Spanh. ad Callim. h. in Del. v. 314. Valckenarius Animadverss. ad Ammon. p. 92 sqq. et qui tum ab intpp. ad Hesych. tum in Stephani Thesaur. s. v. *θεωρός* et *ἀρχιθέωρος* excitantur.

3) Pollucis II, 55. mira est oscitantia, qui cum *θεωρὸς, καὶ συνθέωρος, καὶ θεωρία, καὶ θεωρικὸν, καὶ τὰ τοιαῦτα ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι* dicta esse concedat, incredibile addit tamen fingit veriloquium hoc: *οἱ γὰρ Πυθῶδε θεωροὶ καὶ θεωρικὴ ὁδὸς καὶ θεωρὶς ναῦς ἀπὸ τοῦ πρὸς θεὸν ὀρούειν ἢ ὁρμᾶν ἢ ὁδεύειν λέγεται.*

4) Cf. C. O. Mueller Aeginet. p. 135. Buttmann Gr. Gr. max. II, 350. Welcker Praefat. ad Theogn. p. XVII.

5) Goettling de accent. p. 208.

θεωρός ipsum certe poetis [6]) de spectatoribus dicitur, atque Atticorum theatralem pecuniam *θεωρικόν* quis non praetulerit cum Caecilio Calactino ab spectaculis, quam cum Ammonio aliisque grammaticis ab re divina facienda repetere? Duo autem fuisse diversa *θεωρεῖν* vocabula, alterum ab *θέας*, alterum ab *θεῶν ὥρας* deducendum, nobis quidem admodum improbabile videtur. Dein quod Aeginetarum, Mantinensium, Troezeniorum, Naupactiorum, Ceorum, Thasiorum magistratus quidam *θεωροί*, vel *θεαροί*, vel *θεύροί* dicebantur [7]), quorum nominibus in aliquot civitatibus etiam annus notabatur, quos magistratus ad procurandas deorum religiones pertinuisse non constat certe [8]), spectatores autem vel inspectores fuisse credibile est, etiam id probare videtur in graeco nomine non magis quam in germanico „Seher" infuisse quod iam ab ipsa origine ad rem divinam spectaret. Haec nos movent, ut *θεάσασθαι* et *θεατάς* distinguamus quidem ab *θεωρῆσαι* et *θεωροῖς*, sed etiam haec de augustioris sane rei at de spectaculo tamen et spectatoribus primitus dicta esse credamus. At, inquit, hoc *θεωρῶν* nomine dicuntur etiam, quos non spectandi caussa, sed eo tantum consilio, ut oracula [9]) consulerent eorumque responsa referrent, missos esse constat.

---

6) Aeschyl. Prom. 118. *πόνων ἐμῶν θεωρός.* Choeph. 244. *θεωρὸς τῶνδε πραγμάτων.* fragm. 408. *τοιοῦδε πράγματος θεωρὸς ὤν.* Eurip. Ion. 1091. *λαμπάδα θεωρὸν εἰκάδων.*

7) Boeckh C. I. Gr. 1, p. 857. ed. ad no. 2161.

8) Scio aliud statuisse doctissimum Pindari interpretem ad Nem. III, 67.

9) Ammon. *θεωρὸς μέν ἐστιν ὁ εἰς θεοὺς πεμπόμενος.* Eran. Philo p. 169. *θεωρὸς μὲν ὁ εἰς θεοὺς πεμπόμενος.* Harpocr. Suid. *θεωροὶ μέντοι λέγονται οὐ μόνον οἱ θεαταὶ ἀλλὰ καὶ οἱ εἰς θεοὺς πεμπόμενοι.* Schol. Sophocl. Oed. T. 113. *θ. ὁ πρὸς τοὺς θεοὺς διὰ χρησμὸν ἀπερχόμενος.* Pollux I, 18. *καὶ οἱ χρώμενοι θεωροί.* Erotian. exposit. voc. Hippocr. p. 182. Franz. *θ. λέγονται οἱ εἰς θεοὺς πεμπόμενοι χρησμῶν ἐπισκέψεως χάριν.* Etym. M. 448, 42. Etym. Gud. 260, 44. Hesych. *θεωροί οἱ θεοπρόποι* Atque eo significatu extat vocabulum apud Sophocl. Oed. Col. 409. *ἀνδρῶν θεωρῶν Δελφικῆς ἀφ'*

At credibile vero est ad Apollinem Pythium, ad Iovem Olympium et omnino ad deos consulendos non alium antiquitus missum esse, quam qui simul spectaculis ludorum et sollemnium cum illis oraculis coniunctorum interesset; certe Pythiorum et ludorum et responsorum dubitari nequit quin olim fuerit eadem fere opportunitas, etsi horum tempus volunt Bysium (Martium), illorum Bucatium Delphorum mensem fuisse; quibus autem cum oraculis non proprii quidam ludi, certe sacra quaedam peculiaria coniuncta erant, quae nisi consulentibus non patuerint; fruebantur ergo hi quoque spectaculo augustiore [10]). Atque haec de nomine, quibus illud consequi voluimus, ut in *θεωρῶν* et nomine et munere pateret spectando non infimum fuisse locum.

Agitur hic illud *θεωρῶν* genus, qui erant publice [11]) in peregrinas civitates missi, ut suarum civitatium vel regum suorum tyrannorumve nomine tum sacris peragendis et pompis deducendis ludisque fa-

---

ἑστίας, apud Thucyd. V, 16. Arrian. VII, 23, 3. Pausan. IV, 9, 3. Aelian. V. H. III, 44. et aliis locis innumeris.

10) Schol. Dion. Hierarch. p. 25, d. *θεωροὶ λέγονται οἱ τῶν μυστηρίων ἐπόπται.* Itaque hic quoque in videndo rei cardinem vidit. Hesych. *θεωρούς, θεωρητάς, ἐπόπτας.*

11) Plut. Demetr. 11. Stratocles rogationem tulit apud Athenienses, *ὡς οἱ πεμπόμενοι κατὰ ψήφισμα δημοσίᾳ πρὸς Ἀντίγονον ἢ Δημήτριον ἀντὶ πρεσβευτῶν θεωροὶ λέγοιντο, καθάπερ οἱ Πυθοῖ καὶ Ὀλυμπίαζε τὰς πατρίους θυσίας ὑπὲρ τῶν πόλεων ἀπάγοντες ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς ἑορταῖς.* Schol. Arist. Pac. 342. *θεωροὺς δὲ ἐκάλουν τοὺς ἀπὸ τῶν πόλεων δημοσίων* (l. *δημοσίᾳ*) *ἐκπεμπομένους συνθύσοντας καὶ συμπανηγυρίσοντας.* Hi loci satis docent *θεωρούς* proprie non dici, si qui privatim ad ludorum sollemnia spectanda vel ad oracula consulenda proficiscerentur, sed tantum qui publice essent ab civitatibus suis missi; pauci omnino ita fuerint opulenti, ut sumptibus illius itineris privatim faciendis pares essent; paucos autem illos credibile est adiunxisse se publicis civitatis suae theoris, ut publico nomine comprehendi potuerint, quamquam quod hi quoque *θεωρῆσαι* dicebantur, non propterea statim credendum est etiam *θεωρῶν* ad eos nomen pertinuisse; nam illud utrumque significat et

[illegible] in sollemnia Pythiorum missi [illegible] a quo et sacrificium deo et [illegible] Achillis f. (qui in [illegible] erat) una cum pompa fieri solebat, cf. Heliod. Aeth. 2, 34 sq.

ciendis spectatores interessent, tum ipsi et sacrificia offerrent et pompam deducerent. Horum legatorum corpus quasi sive collegium θεωρία[12]), qui collegio intererat θεωρεῖν, qui praeerat, praeerat autem plerumque unus, raro plures[13]), is ἀρχιθεωρός sive ἀρχεθεωρός, ἀρχιθεωρεῖν, θεωρίαν ἄγειν[14]), τῆς θεωρίας ἐξαρ-

---

esse theorum, et spectare. Huc refero Herodoti illud I, 59. Ἱπποκράτεϊ γὰρ ἐόντι ἰδιώτῃ καὶ θεωρέοντι τὰ Ὀλύμπια, et ne eum quidem Hippocratem, Pisistrati patrem, suo nomine Olympiam profectum esse constat; eodem refero Lucian. Timon. 50. οὐδὲ ἐθεώρησα ἐγὼ πώποτε εἰς Ὀλύμπια (ita enim pro Ὀλυμπίαν scribendum videtur, quamquam etiam ἀρχιθεωρὸν εἰς Ἰσθμὸν καὶ Ὀλυμπίαζε [Andoc. de myst. 65.] et Πυθῶδε θεωρός [cf. not. 3.] reperitur. Nam qua ratione θύειν εἰς τὰ ἱερά, εἰς τὴν πανήγυριν [cf. not. 12.], eadem etiam θεωρεῖν ἐς τὰ Ἐφέσια Thuc. III, 104. ἐς Ἴσθμια Thuc. VIII, 10. dicebatur.

12) θεωρίας nomine primum legatio dicebatur sacra missa aliquem in locum, ut sollemnibus ibi faciendis interesset et sacrificium offerret. Atque plerumque eo nomine comprehenditur simul omnis legatorum apparatus et sacrificium ab iis procurandum, veluti cum ἡ θεωρία ἐκ Δήλου Xenophonti Mem. Socr. IV, 8, 2. dicitur; nonnunquam autem sacrificium distinguitur ab ipsa theoria, veluti in oraculo Dodonaeo ap. Demosthen. c. Mid. 531. τὰς ὥρας παρηνέγκατε τῆς θυσίας καὶ τῆς θεωρίας, in foederibus Athenienses inter et Lacedaemonios Ol. LXXXVIIII, 3. compositis ap. Thuc. V, 18. περὶ μὲν τῶν ἱερῶν τῶν κοινῶν, θύειν καὶ ἰέναι καὶ μαντεύεσθαι καὶ θεωρεῖν κατὰ τὰ πάτρια τὸν βουλόμενον καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν ἀδεῶς. Isocrat. Aegin. 3. οὔτε θυσίαν οὔτε θεωρίαν οὔτ' ἄλλην ἑορτήν. Lys. c. Andoc. p. 198. οἳ ἕνεκα ταύτης τῆς ἑορτῆς ἔρχονται ἢ θύειν εἰς ταύτην τὴν πανήγυριν βουλόμενοι ἢ θεωρεῖν. Plat. Legg. XII, p. 947. A. τῶν εἰς τοὺς Ἕλληνας κοινῇ θυσιῶν καὶ θεωριῶν. Plut. Sept. Sap. Conv. c. 17. p. 42. H. τῷ Ποσειδῶνι θυσίαν καὶ θεωρίαν ἀπάγων. Poll. X, 11. τὰ πρὸς θεωρίαν ἢ θυσίας σκεύη. Dein ipsa illa sollemnia, quorum caussa legatio mittebatur sacra, θεωρίας nomine appellabantur; sic Plat. Legg. I. p. 650. A. ἡ τοῦ Διονύσου θεωρία i. e. Bacchi sollemnia. Schol. Aristoph. Pac. 876. πάσας δὲ τὰς πανηγύρεις θεωρίας ἐκάλουν, atque quam venustam mulierem Θεωρίας nomine in Pace fabula introducit Aristophanes, repraesentat illa sollemnium quasi celebrationem, cf. 714. 867 sqq. 883 sqq. Denique apud Sophocl. Oed. R. 1477. ποίας δ' ἑορτάς, ἔνθεν οὐ κεκλαυμέναι πρὸς οἶκον ἵξεσθ' ἀντὶ τῆς θεωρίας, ap. Isocrat. Paneg. §. 182. c. 48. οὗτος ὁ πόλεμος θεωρίᾳ μὲν μᾶλλον ἢ στρατείᾳ προσεοικώς videtur eo vocabulo significari solus ornatus et apparatus theoriae.

13) Pseudo-Andoc. c. Alcib. 126. τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος, ubi agitur de theoria Attica Olympiam missa. cf. not. 38. De accentu, nam alii scribunt ἀρχιθέωρος, cf. Goettling. de acc. p. 315. 14) Demosth. c. Mid. 552. εἴασε δ' ἀρχιθεωροῦντα ἀγαγεῖν τῷ Διὶ τῷ Νεμείῳ τὴν κοινὴν ὑπὲρ τῆς πόλεως θεωρίαν. Apud Athenienses architheoriam constat ex liturgiis extraordinariis fuisse cf. Lys. p. 700.

καταχύσματα theoros, qui [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] καταχύσματα — τῶν ἀπὸ θεωρίας καὶ τῶν νυμφίων (sc. καταχύσματα κατέχεον) [illegible] s. v. φασὶ δὲ καὶ ἐπὶ τῶν πρώτων καὶ ἐπὶ τῶν θεωρῶν τοῦτο γίγνεσθαι.
[illegible] [illegible] [illegible] 2 theor. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] (c. J. 364)

χειν[15]) sive ducere theoriam dicebatur, denique qui eidem legationi sacrae intererant, *συνθέωροι* vocabantur. Theori autem eorumque princeps creabantur[16]) suffragiis aut populi aut senatus[17]), nisi quod apud Lacedaemonios Pythii, quo nomine dicebantur Spartae theori Delphos missi, ab regibus designabantur; in creandis autem theoris credibile est idem civitates spectasse, quod partim Plato[18]) spectari iubet, ut essent et genere nobilissimi, et forma praestantissimi et virtute optimi, et rei divinae imprimis gnari. Atque Atticos theoros in Delum missos Herodotus diserte principes civitatis appellat. Creabantur nonnumquam qui cum magistratu erant et imperio, veluti apud Athenienses Demosthenem[19]) scimus, senator cum esset, Iovi Nemio architheorum esse missum, et ad Pythia[20]) partim thesmothetas partim senatores aliquot ex more mitti solitos, neque est dissimile veri aliquot theoriarum legatos ex iisdem familiis[21]) hereditario quodam iure esse captos. Sumptus praebebat partim civitas, at-

---

15) Heliod. Aethiop. II, 34.

16) Demosth. 531. *αἱρετοὺς πέμπειν κελεύει θεωροὺς ἐννέα.* Corp. Inscr. Graec. 2270. *ἀρχεθεωρὸς αἱρεθείς.*

17) Dinarch. c. Demosth. p. 100, 29. (p. 57. R.) *ἀρχιθεωρὸν αὐτὸν ἐπέδωκε τῇ βουλῇ.* Schol. Pac. 716. *ἡ βουλὴ τὰς θεωρίας ἐξέπεμπε.* cf. Aristoph. 874. 883.

18) Legg. XII, 950. extr. *πέμπειν δὲ εἰς δύναμιν ὅτι πλείστους ἅμα καὶ καλλίστους τε καὶ ἀρίστους, οἵτινες εὐδόκιμον τὴν πόλιν ἐν ἱεραῖς τε καὶ εἰρηνικαῖς ξυνουσίαις ποιήσουσι δοκεῖν.*

19) cf. not. 14.

20) Demosth. f. l. 380, 21. *ὥςτε μήτε τοὺς ἐκ τῆς βουλῆς θεωροὺς μήτε τοὺς θεσμοθέτας εἰς τὰ Πύθια πέμψαι.* Cf. commentationem nostram de Olymp. lud. in Encycl. Art. III, 3. p. 301.

21) Certe apud Athenienses Deliastas et Pythiastas ex gentibus quibusdam captos esse Philochori locus ap. schol. Sophocl. Oed. Col. 1047. docere videtur, quem, quod eo infra etiam utemur, integrum adscribamus, praesertim cum in eo restituendo discedam nonnihil ab sententia praestantissimi viri O. Muelleri (de Doriens. I, 240.): *ὅταν δὲ σημεῖα γένηται παραδεδομένα ἐν τοῖς ἱεροῖς, τότε ἀποστέλλουσι τὴν θεωρίαν οἱ ἐκ τοῦ γένους Πυθιασταὶ καὶ Δηλιασταὶ* [libri: *Πυθίαι τε καὶ Δηλιάδες*, Valesius ad Harpocr. v. *Δηλιασταί* et Mullerus: *Πυθιάδα καὶ Δηλιάδα*]

que apud Athenienses Androtio[22]) auctor est colacretas theoris Delphos missis viaticum et reliquum sumptum ex naucrariarum tributis antiquitus dedisse, neque est cur aliud aliorum theororum institutum fuisse credas; frumentum, quo sibi in itinere opus esset, theori, praesertim Delphos missi, in cista condebant, quae *ἀχάνη* dicebatur[23]); civitatis erat etiam victimam ab theoris suis mactandam aut eius pretium, et vasa ad pompam deducendam idonea, aurea argenteaque, quae *πομπεῖα* dicebantur[24]) et Athenis quidem in Pompeo recondebantur, et vasa theoriae et sacrificiis necessaria, quae *χρηστήρια*[25]) *σκεύη* vocabantur, per mare autem deducendis theoriis naves etiam egregie ornatas et optimis remigibus instructas[26]) praebere, quae *ἱεραί* et *ἱεραγωγοί*[27]) et *θεωρίδες*[28]) appellabantur. Quod ad Atheniensium sacras naves[29]), de quibus grammatici veteres minus probabiliter videntur sta-

---

ὁποτέρα ἂν καθήκῃ αὐτοῖς· θύει δὲ ὁ μάντις, ὅταν μὲν τὰ εἰς Δελφοὺς πόμπιμα γένηται καὶ θεωρία πέμπηται, ἐν Οἰνόῃ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐν τῷ Πυθίῳ· εἰ δὲ εἰς Δῆλον ἀποστέλλοιτο ἡ θεωρία, κατὰ τὰ προειρημένα θύει ὁ μάντις εἰς τὸ ἐν Μαραθῶνι Δήλιον· καὶ ἔστιν ἱεροσκοπία τῆς μὲν εἰς Δελφοὺς θεωρίας ἐν τῷ ἐν Οἰνόῃ Πυθίῳ, τῆς δὲ εἰς Δῆλον ἐν τῷ ἐν Μαραθῶνι Δηλίῳ.

22) Schol. Aristoph. Av. 1548. Boeckh. Oec. Civ. Ath. I, 188 sq.

23) Schol. Aristoph. Ach. 108. *ἄλλοι δέ φασιν, ὅτι* (sc. *ἀχάνη*) *κίστη ἐστὶν εἰς ἣν κατετίθεντο τοὺς ἐπισιτισμοὺς οἱ ἐπὶ τὰς θεωρίας στελλόμενοι.* Poll. X, 165. *ἔνιοι δὲ τὴν θεωρικὴν κίστην οὕτω* (i. e. *ἀχάνας*) *κεκλῆσθαι νομίζουσιν. — οἱ δὲ κοιτίδας τὰς Πυθῶδε ἰόντων.*

24) Pseudo-Andoc. c. Alcib. p. 126.

25) Pollux X, 11.

26) Plutarch. Camill. 8. *ναῦν μακρὰν εὐανδροῦντι πληρώματι καὶ κόσμῳ πανηγυρικῷ κατασκευάσαντες.*

27) Polyb. XXXI, 20, 11.

28) Poll. II, 56. Thom. M. p. 181. Ritschl. Suid. v. *Σωκράτης.* Philostrat. Imagg. I, 19., ubi Bacchi navis et *ἱερά* et *θεωρίς* dicitur. Non sine acerba ironia usus est vocabulo Aeschyl. Sept. 857., Charontis navem eo nomine appellans.

29) Vid. Boeckh Oec. Civ. Ath. I, 258. II, 217. et mea ad schol. Demosth. c. Mid. T. 1. p. 214.

tuisse, antiquitus, etiam Aeginetico bello et altero Persico, una fuerit quinqueremis [30]), in eius locum aliquanto ante Peloponnesiorum bellum duae successerint triremes, quarum altera, quod Salamina ad insulam ancoras tenebat, Salaminia, [et quod Deliae [31]) theoriae deducendae adhibebatur, etiam Delia et Theoris,] altera, cum in Paralia sive ora maritima Atticae atque ad Sunium potissimum in ancoris consisteret olim, etsi Demosthenis temporibus aliquando [32]) ad Marathona commorabatur, Paralus vocabatur; eiusdem Demosthenis temporibus accesserit tertia theoriae ad Ammonem deducendae, ideoque Ammonias vocata; anno Ol. CXVIII, 3. Demetriada et Antigonida non novas credimus additas, sed nominibus illis duas ex superstitibus sacris navibus appellatas esse, donec cum ceteris Demetrii et Antigoni honoribus abolitis ad vetera nomina rediretur; postremum inter Ol. CXXV, 3. et CXXXIII, 2. non novam theorida

30) Herodot. VI, 87. ἦν γὰρ δὴ τοῖσι Ἀθηναίοισι πεντήρης ἐπὶ Σουνίῳ· λοχήσαντες ὦν (sc. οἱ Αἰγινῆται) τὴν θεωρίδα νῆα εἷλον πληρέα ἀνδρῶν τῶν πρώτων Ἀθηναίων. Eam quinqueremem Deliam non male dixeris, Salaminiam multo minus licet dicere quam Paraliam. Cum etiam ad Artemisium pugnae una interfuerit sacra navis (Plut. Themistocl. 7. ὃς ἦν μὲν ἐπὶ τῆς ἱερᾶς νεὼς τριήραρχος), credibile est ne tum quidem iam duas theoridas Atheniensibus fuisse.

31) Deliam Atheniensium theoriam admodum antiquam fuisse Deliastae in Solonis legibus commemorati satis evincunt; fabulae tamen Atticae de Erysichthone Cecropis filio et de Theseo primis eius auctoribus fucum nemini fecerint; cf. Boeckh. explicat. inscript. Del. in Comment. Acad. Berol. 1834. p. 2 sqq. Quae vero Plutarchus an seni sit gerend. respubl. c. 6. T. XII. p. 109. H. de artificio narrat, quo curatum sit, ut Deliaca navis eadem perpetuo esse videretur, cum, quoties esset aliqua materia putrefacta, nova insereretur, apud nos non tantum valet, ut Deliam navem semper triremem fuisse arbitremur.

32) Demosth. Phil. I, 50, 1. τὰ τελευταῖα δ' εἰς Μαραθῶνα ἀπέβη καὶ τὴν ἱερὰν ἀπὸ τῆς χώρας ᾤχετ' ἔχων τριήρη. Paralum esse intellegendam Harpocratio v. ἱερὰ τριήρης ex Philochoro et Androtione patere auctor est.

Ptolemaida extructam sed nomen id uni ex superstitibus sacris navibus datum esse. — Quamquam autem architheoriam trierarchia minus sumptuosam fuisse constat[33]), non minimam tamen sumptuum partem in se receperit architheorus, praesertim si qui eandem liberalitatem honorisque contentionem prae se ferret quam Nicias, cum theoriam in Delum deduceret[34]). Verum hi, ut omnes omnino sumptus theoriarum, non fuerint omnium iidem, sed pro civitatis, quae mittebat, magnitudine et opulentia, pro sacrorum ad quae mittebatur celebritate, et pro legatorum numero[35]), pro privatorum, qui legationi se adiungerent, multitudine[36]) diversi; sic, ut hoc utar exemplo, credibile est ab Atheniensibus missas theorias reliquarum urbium theoriis si minus splendore at certe elegantia ornatus praestitisse, ex Atticis autem theoriis penes eam, quae singulis annis ad Delia, atque ex ipsis his Deliis penes eam, quae tertio cuiusque Olympiadis anno ad Delia Magna mitteretur, ornatus elegantiaeque quendam principatum fuisse; ea enim theoria inter alia etiam chorum in Delum ducebat (*ἀνάγειν* vel *πέμπειν χορόν* dicebatur) tanta magnificentia instructum, ita ab arte eruditum, qui reliquos choros ab aliis

---

33) Aristot. Ethic. Nicom. IV, 2, 2. Zell. *οὐ γὰρ τὸ αὐτὸ δαπάνημα τριηράρχῳ καὶ ἀρχιθεωρῷ.*

34) Plutarch. Nic. 13.

35) „Quam plurimos" habet Plato legg. XII, 950., novem theoros oraculum Dodonaeum ap. Demosth. Mid. 531. iubet ab Atheniensibus sed extra ordinem Dodonam mitti, tres Romani miserunt, qui Delphico deo donaria redderent Plut. Camill. 8.; et tres legatos habes etiam in Deliaco marmore C. J. Gr. 2270. et alibi.

36) Ad propinqua sollemnia nonnumquam *πανδημεὶ ἐθεώρουν*, veluti Iones ad Delia olim et ad Ephesia *ξὺν γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐθεώρουν.* Thuc. III, 104. Theoria Peloponnesia Delphos missa *μετὰ παίδων καὶ γυναικῶν* commemoratur ap. Plutarch. Quaest. Gr. 59.

[illegible] ap. [illegible] de cor. [illegible] 22 [illegible] τοῦ θεωρικοῦ [illegible] [illegible] τοῖς ἐκ [illegible] (l. θεωροῖς) [illegible] ap. Plutarch [illegible] καὶ θεωροῖς [illegible]

insulis et urbibus in Delum missos facile superaret [37]). Ipsa autem civitas, in qua agebantur sollemnia, in theoros excipiendos non parvas impensas ac sumptus faciebat. Marmore Sandvicensi [38]) continentur rationes ab Amphictyonibus Atticis in Delo constitutis per quadriennium redditae, ab anno inde quarto Olympiadis centesimae usque ad tertium annum Ol. centesimae primae, tum redituum acceptorum tum impensarum factarum; inter has commemorantur talentum Archetheoris, talentum et mille drachmae Antimacho trierarcho pro vectura theororum et chororum numeratae; hic iam pluralis numerus architheororum et chororum satis probat non de Attica theoria sola, sed de reliquarum etiam urbium theoriis in Delum missis nunc agi. In nonnullis civitatibus mandatum erat aliquot civibus, ut aliarum civitatum theoros exciperent, hi *θεαροδόχοι*, eorum ministerium *θεαροδοχία*, domus theoris excipiendis fortasse *θεάριον* dicebatur [39]). Plerumque enim sua sibi ipsi theori tentoria tendebant, quae *σκηναὶ θεωρικαί* vocabantur [40]), eaque nonnumquam magnifice orna-

---

37) Xenoph. Mem. III, 3, 12. c. n. interprr.

38) Corp. Inscr. Graec. no. 158. §. 5. *Ἀρχεθεωροῖς T. εἰς κομιδὴν τῶν θεωρῶν καὶ τῶν χορῶν Ἀντιμάχῳ Φίλωνος Ἑρμείῳ τριηράρχῳ TX.*

39) Non pertinet huc *Πυθίου θεάριον* Pindari Nem. III, 67, verum partim illustre decretum Hermionensium in C. I. Gr. no. 1193., quo Asinaei laudantur, quod ad renovandam veterem amicitiam promiserint ad Chthonia se Hermionensibus sacrificinm esse missuros, Hermionenses contra pollicentur *καταστᾶσαι δὲ καὶ θεαροδόχον, ὅστις ὑποδέξεται παραγινομένους τοὺς συνθύτας ἐπὶ τὰν θυσίαν*, partim decretum Teniorum, C. I. Gr. no. 2329., quo Ammonius [quem Boeckhius Delium Atheniensem fuisse recte statuit] quidam laudatur, quod *ἀναδέδεκται τὴν θεαροδοχίαν τῶν Δηλίων*, id est ad sollemnia Deliorum, quae in Delo agebantur, theoros excipiendos in se susceperit.

40) Heniochus Comicus ap. Stob. Florileg. tit. 43, 217. *τὸ χωρίον μὲν γὰρ τόδ' ἐστὶ*

bantur [41]). Theoriis autem, quod ad splendorem et magnificentiam sollemnium non mediocriter facere videbantur, tantum tribuebatur, ut earum nomine civitatibus, a quibus essent missae, nonnumquam coronam decerneret ea civitas, ad quam essent profectae; sic Deliaco quodam marmore Eubulus Delius Atheniensis ab cleruchica civitate Atheniensium in Delo constituta laudatur eique corona decernitur aurea, quod inter alia, cum esset architheorus ad Panathenaea Attica electus, ita cum filio et reliquis syntheoris re sua esset functus, ut populus Atheniensis Deliorum ab populo Atheniensi Athenarum corona aurea ornaretur [42]). Quae vero civitates mitterent theorias, iis ab ea civitate, cuius erant sollemnia, eorum tempus verbis sollemnibus indici (*ἐπαγγέλλεσθαι*) solebat [43]), id quod cum induciarum sacrarum (*ἐκεχειρίας* s. *σπονδῶν*) denunciatione [44]) coniunctum erat; illa indictione etiam statae feriae et sacra carere non poterant, quod diversus neque idem erat civitatibus anni ordinandi modus. Nonnumquam legatio circumibat civitates, quae eas ad

---

πᾶν κύκλῳ Ὀλυμπία, τηνδὶ δὲ τὴν σκηνὴν ἐκεῖ σκηνὴν ὁρῶν θεωρικὴν νομίζετε. Pseudo-Andoc. c. Alcib. §. 30. Plut. Alcib. 12. Athen. XII, 534, d. Atque hi loci ad tentoria Olympica pertinent, Isthmicorum fidem facit Aristoph. Pac. 877. *ἐς Ἴσθμια σκηνὴν καταλαμβάνω.*

41) Dionys. H. in Lys. p. 520. *ἔπεμψε θεωροὺς εἰς τὴν πανήγυριν ὁ Διονύσιος ἄγοντας θυσίαν τῷ θεῷ, μεγαλοπρεπής τε καταγωγὴ τῶν θεωρῶν ἐγένετο ἐν τῷ τεμένει.*

42) Corp. Inscr. Gr. no. 2270. *ἀρχεθεωρός τε αἱρεθεὶς καὶ μετα τοῦ ὑοῦ καὶ τῶν ἄλλων συνθεώρων πάντα καλῶς καὶ πρεπόντως βραβεύσας τότε πρῶτον Παναθηναίοις ἐποίησε τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων τῶν ἐν Δήλῳ τιμηθῆναι χρυσῷ στεφάνῳ ἀνηγορευμένῳ ἐν τῷ ἐν ἄστει θεάτρῳ.*

43) Thuc. VIII, 10. *ἐν δὲ τούτῳ τὰ Ἴσθμια ἐγίνετο, καὶ οἱ Ἀθηναῖοι (ἐπηγγέλθησαν γάρ) ἐθεώρουν ἐς αὐτά.*

44) De his induciis disputavi in commentatione de Olympiis p. 298 sq.

obeunda sollemnia atque ad ludorum societatem vocaret, et ea quoque legatio *θεωρία* dicebatur [45]).

Induciae autem sacrae eam vim habebant, ut per totum *ἱερομηνίας* tempus, ex quo proficiscerentur ad ludos theori, donec redirent domum, essent quasi sacrosancti neque impune ab quoquam violari possent; qui autem violasset theorum, insigniter impius videbatur, eamque improbitatem non humana tantum lex vindicare sed deorum etiam ira ulcisci credebatur; levior iniuria multa irroganda plectebatur; graviorem aliquando ipsi Amphictyones Delphici vindicarunt [46]); multa ei deo erat, cuius numen esset facta iniuria neglectisque induciis violatum; qui non solveret multam, ei sacris eius dei interdicebatur et fortasse pignoribus capiendis cogebatur. —

Verum uti nihil publice sine auspiciis gerebatur, ita theoria quoque non mittebatur nisi auspicato; plerumque aruspex extis inquirebat, nonnumquam etiam de coelo observabatur. Athenis scimus, antequam verno tempore Delphica theoria mitteretur, per tres menses, singulis mensibus per triduum totidemque noctes, fulgura expectasse Pythiastas ad aram considentes Iovis Fulgurantis (quae intra muros urbis inter Pythium et Olympium erat), oculis ad Harma conversis, neque profectam esse theoriam, antequam fulgura Pythica annuissent; cum vero iam mitteretur, aruspicem quotidie in Pythio eo, quod in Oenoë pago erat, litasse,

---

45) Polyb. XXXI, 3. *Ὁ Ἀντίοχος — ἐξέπεμψε πρέσβεις καὶ θεωροὺς εἰς τὰς πόλεις καταγγελοῦντας τοὺς ἐσομένους ἀγῶνας.* Id. XXVIII, 16, 4. c. n. Diodor. IV, 53. *καὶ θεωροὺς ἀποστεῖλαι τοὺς ταῖς πόλεσι προεροῦντας τὴν θέαν τῶν ἀγώνων.*

46) cf. Plutarch. Quaest. Graec. extr. de *ἁμαξοκυλισταῖς* Megarensium.

ut theoriae omnia pergerent esse secunda; eadem ratione, quoties in Delum mitteretur theoria, aruspicem in Delio, quod Marathone erat, rem divinam fecisse [47]).

Viam theoria non aliam aliis annis faciebat, sed quod iter primum petiverat, idem perpetuo tenebat; nam uti in omni re divina, ita etiam in theoriis ad patrios ritus (*κατὰ τὰ πάτρια*) omnia revocanda erant [48]); ea via sacra et habebatur et dicebatur (*θεωρίς* s. *ἱερὰ ὁδός*) [49]). Neque vero solum cum proficiscerentur theori, sed etiam in ipso itinere quibusdam in stationibus litabatur; sic Siculorum theori, quoties ex Sicilia solverent, primum sacrificium faciebant in ara Apollinis archegetae, quae extra urbem Naxi erat [50]). Euripidis [51]) vero *κουραὶ δὲ καὶ πεπλώματ᾽ οὐ θεωρικά* non probant theoris suam fuisse propriam comae componendae rationem et proprias vestes, sed theori, ut sacerdotes et quicumque rem divinam faciebant, promisso capillo [52]), candida niveaque veste [53]) et corona [54]) frondea usi sint; quas autem mulieres supplicantes et aris advolutas The-

47) C. O. Mueller de Doriens. I, 240.

48) *θεωρεῖν κατὰ τὰ πάτρια* Thuc. V; 18.

49) Herod. VI, 34. Viam Pythicae theoriae Atheniensium descripsit Muellerus l. c. Hesych. v. *θεωροί — λέγουσι δὲ καὶ τὴν ὁδόν, δι᾽ ἧς ἴασιν ἐπὶ τὰ ἱερὰ, Θεωρίδα.* Schol. Plat. Phaed. init. — *ὅθεν καὶ αἱ ὁδοὶ δι᾽ ὧν ἐπορεύοντο, θεωρίδες κέλευθοι ἐκαλοῦντο.*

50) Thuc. VI, 3.

51) Eur. Suppl. 109.

52) Herod. II, 36. *οἱ ἱρέες τῶν θεῶν τῇ μὲν ἄλλῃ κομέουσιν, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ ξυρεῦνται.*

53) Casaubon. ad Theoph. Ch. 21.

54) Hesych. *θεωρικός, ὡς θεωρὸς ἐστεφανωμένος.*

seus apud Euripidem videt, fuerint illae detonsa coma [55]) et pullo pallio. Neque in rheda meritoria aut plaustro vehebantur theori, sed decoris carpentis magnifice ornatis, quae credibile est ab sacerdote eius dei, cui sacra esset theoria, non minus coronata [56]) esse, quam Deliae navis puppi constat Apollinis sacerdotem coronam imposuisse, idque initium fuisse theoriae [57]). Theoriae additi fuerint et sacerdos et praeco sacer et ministri [58]).

Cum vero advenissent theori, quo erant missi, agerenturque iam sollemnia, quorum caussa erant missi, ita veniebant in communionem sacrorum et ludorum [59]), ut non interessent tantum rei divinae, sed ipsi offerrent deo civitatis suae nomine hostiam, aut frugum suarum primitias, quibus nonnumquam pretiosiora accesserint donaria, atque in his sacris faciendis versatas potissimum esse theorias tum grammaticorum [60]) glossae docent, tum ii loci probant, in quibus aut solum *θυσίαν*

---

55) *Πένθιμος κουρά* (Polluc. II, 29.) erat *ἐν χρῷ κεκαρμένων* (cf. Xenoph. H. Gr. I, 7, 8.) i. e. ad cutem tonsorum.

56) Hesych. l. c. *ἐστεφάνουν γὰρ οὗτοι* (i. e. *θεωροί*) *τὰς ἀπήνας.*

57) Plat. Phaedon. init.

58) Apud Eustath. de amor. Hysm. I, int. describi vestitum *κήρυκος θεωροῦ* monuit Iacobsius ad Philostr. Imagg. p. 325. *Θεωρίας ὑπηρέται* extant ap. Heliodor. IV, 19.

59) Plat. Legg. XII, 950, E. *κοινωνοῦντας θυσιῶν τε καὶ ἀγώνων τούτοις τοῖς θεοῖς.*

60) Etym. M. v. *ἀρχιθεωρός* p. 151, 32. *ὁ ἡγούμενος τῶν θεωρῶν. Θεωροὶ δέ εἰσιν οἱ τὴν θεωρίαν φέροντες τοῖς θεοῖς εἰς τοὺς Ἑλληνικοὺς ἀγῶνας καὶ ὑπὲρ τῶν πατρίων* [l. *πατρίδων*] *θύοντες.* id. 448, 43. *θεωροὶ — οἱ φύλακες τῶν θυσιῶν καὶ χρησμῶν.* Etym. Gud. 267, 19. *θεωρεῖν ἐστι τὸ τὰς θυσίας φυλάττειν — ὅθεν καὶ θεωροὶ οἱ διὰ τοῦτο ἀποστελλόμενοι.* Schol. Plat. Phaed. init. *θεωρίαν ἀπάξειν ἀντὶ τοῦ θυσίαν ἀπενεγκεῖν. Θεωροὶ δέ εἰσιν οἱ πεμπόμενοι θῦσαι καὶ θεραπεῦσαι τὸν θεόν, ὅθεν — καὶ ὁ ἱερεὺς θεωρός*

ἀπάγειν aut θυσίαν καὶ θεωρίαν ἀπάγειν extat. Quibusnam esset hostiis et quonam ordine ab singularum civitatium theoris immolandum, etiam illud fuerit usu moreque cautum; sic Atticae coloniae ad Panathenaeorum sollemnia boves singulos singulae misisse feruntur [61]), atque Asinaei Hermionensibus ad sacrificium annuum Cereri Chthoniae faciendum boves singulos singulis annis se esse missuros polliciti sunt [62]); quod autem de ordine, credibile est quibus civitatibus προμαντεία et προεδρία data fuerit, earundem theoros etiam sacrificia esse auspicatos; sic, ut his utar exemplis, Atheniensibus erat in Isthmiis ludis proedria [63]), Delphica promantia data erat aliis alio tempore, ut Croeso, Spartanis, Atheniensibus, Philippo Amyntae f. et aliquando etiam privatis [64]). Nonnumquam theori non hostiam ipsam a patria secum ducendam curabant, sed in eo demum loco emebant, quo agebantur sollemnia; sic Iason cum Antiochenos aliquot theoros Tyrum mitteret, addidit CCC drachmas, quibus sacrificarent Herculi [65]).

Moer. p. 185. θεωροὶ οἱ τὰς θυσίας ἀπάγοντες εἰς τὰ κοινὰ ἱερὰ κτλ. Hesych. v. θεωρικός — θεωροὺς δὲ ἐκάλουν τοὺς τοῖς θεοῖς τὰς ἀπαρχὰς ἀπάγοντας. Suid. οἱ εἰς θυσίαν πεμπόμενοι καὶ εἰς τὰς ἑορτάς. Cum Paullus Amphipoli ludos magno apparatu faceret, convenerunt eo „et legationes cum victimis" Liv. 45, 32. Descriptionem θυμιαμάτων et ἱερείων θεωρίας habes ap. Achill. Tat. II, 15.

61) Schol. Aristoph. Nub. 385.

62) cf. not. 39.

63) cf. infra p. XXII. not.

64) Bekk. Anecd. 289, 18. Herodot I, 54. c. n. Wess. Plutarch. Pericl. 12. Demosth. Phil. III, 119, 16. Corp. Inscr. Gr. 1689, b. 1691 sq.

65) Maccab. II, 4, 19.

Summus autem theoriarum apparatus, summa magnificentia in pompis deducendis ostentabatur, uti in pompa, a qua Antiochus Epiphanes ludorum ab se exhibitorum initium faciebat, etiam trecentae theoriae conspiciebantur [66]); hic theori, quorum pars [67]) *στλεγγίδας*, id est ornamenta capitis in strigilum formam facta, gestaverit, splendidis vestimentis induti, praeeunte architheoro, qui coronam auream cum frontali gestaverit, comitante praecone sacro, sequente choro, si quidem chorus additus erat theoriae, magnam vim auri argentique, praesertim pompea illa sive vasa aurea argenteaque, de quibus supra dictum est, ferentes, pompam duxerint. — Magna pars illius ornatus non raro deo sollemnium praesidi donarii causa dabatur [68]).

Quod ad ludos, si theoria additum habebat chorum, curabant theori, ut suus chorus cum choris aliarum urbium tripudiaret certaretque, atque hic architheorus quasi choragi munere functus fuerit; ceterum ludos spectabant theori, praesertim quibus esset proedria data, de illustriore loco. —

Plerumque epulae quoque fuerint in *ἑστιατορίῳ* legationibus sacris ab civitate ea, quae praeerat ludis, paratae non minima opulentia et cura [69]).

---

66) Polyb. XXX, 3, 12., si locus sanus est.

67) Erotian. expos. voc. Hippocr. p. 328. *στλεγγίδα Ἡρακλείδης μὲν ὁ Ταραντῖνος χρυσοῦ φησι ταινίδια εἶναι, οἷς χρῶνταί τινες τῶν θεωρῶν.* Boeckh. Oec. Civ. Ath. II, p. 331. Id. Corp. Inscr. Gr. T. I, p. 260. Gerhard. Indice Veter. Monumentor. Berolinens. I, p. 374.

68) Colligas id ex donariis, quae ab Callia Hipponici F. et Nicia Nicerati F. Atheniensibus Deliaco templo donata, commemorantur inscriptione, quam not. 67, significavimus.

69) Liv. XXXXV, 32. *ἑστιατόριον* Eleorum commemoratur Pausan. V, 15, 12.

Ad Olympiorum, Pythiorum, Nemeorum, Isthmiorum celebritatem [70]), theoriae a Graecis civitatibus plerisque mittebantur, nisi si qua civitas unis alterisque illorum sollemnium aut ut ἔκσπονδος τοῦ ἀγῶνος arcebatur, aut sua sponte abstinebat, veluti Isthmicis ludis Eleos exceptis Lepreatis abstinuisse constat [71]). Dein ad metropolis sollemnia maiora, praesertim ad ea, quae diis praesidibus patriarum urbium (θεοῖς πολιούχοις) et diis patriis (θεοῖς πατρῴοις) agebantur, coloniae, nisi quae debitam metropoli pietatem exuisset, reliquae omnes religiose sacras legationes mittebant; ita Tyrum ad Herculis sacra facienda Carthaginienses quotannis navigio cum cura electo theoros mittebant [72]); de Atheniensium coloniis dictum est paullo ante; atque Corinthios constat Corcyraeis etiam eo nomine offensos fuisse, quod sibi in communibus feriis non consuetos tribuissent honores, id est, ut Diodorus explicat, quod non, ut reliquae coloniae ab se deductae,

---

70) Etiam Plato Legg. XII, 950, E. iubet Πυθῶδε τῷ Ἀπόλλωνι καὶ εἰς Ὀλυμπίαν τῷ Διὶ καὶ εἰς Νεμέαν καὶ εἰς Ἰσθμὸν χρὴ πέμπειν. Atque Plutarchus (Demetr. 11.) ubi Stratoclis rogationem commemorat, ut ad Antigonum Demetriumque mittendi non legati sed theororum nomine dicerentur, addit: καθάπερ οἱ Πυθοῖ καὶ Ὀλυμπίαζε τὰς πατρίους θυσίας ὑπὲρ τῶν πόλεων ἀπάγοντες ἐν ταῖς Ἑλληνικαῖς ἑορταῖς. Vides qui solum theororum nomen audivisset, eum statim de Olympicis potissimum Pythicisve theoris cogitasse. Decretum Byzantiorum ap. Demosth. de cor. 256, 14. iubet ἀποστεῖλαι δὲ καὶ θεωρίας εἰς τὰς ἐν τᾷ Ἑλλάδι πανηγύριας, Ἴσθμια, καὶ Νέμεα, καὶ Ὀλύμπια καὶ Πύθια, καὶ ἀνακαρῦξαι τῶς στεφάνως, ὧς ἐστεφάνωται ὁ δᾶμος ὁ Ἀθηναίων ὑφ' ἁμῶν.

71) Pausan. V, 2, 2 sq. VI, 3, 9. VI, 16, 2.

72) Arrian. II, 24, 5. Καρχηδονίων τινὲς θεωροὶ ἐς τιμὴν τοῦ Ἡρακλέους κατὰ δή τινα νόμον παλαιὸν εἰς τὴν μητρόπολιν ἀφικόμενοι. Curt. IV, 3, 10. (IV, 8. Zumpt.): Carthaginiensium legati ad celebrandum sacrum anniversarium more patrio tunc venerant, quippe Carthaginem Tyrii condiderunt, semper parentum loco culti. Polyb. XXXI, 20, 12, Συμβαίνει δὲ τὰ πλοῖα ταῦτα (i. e. τὰ ἱεραγωγά) κατ' ἐκλογὴν λαμβάνεσθαι ἐκ τῆς Καρχηδόνος ἐφ' οἷς εἰς τὴν Τύρον ἐκπέμπουσιν οἱ Καρχηδόνιοι τὰς πατρίους ἀπαρχὰς τοῖς θεοῖς.

consueta sacra metropoli misissent [73]). Maxime memorabile erat ludicrum Panhelleniorum; Hadrianus enim postquam templum Iovis Panhellenii condiderat Athenis, quod *Πανελλήνιον* fuerit dictum, illa sacra instituit, Panhellenii cognomen sibi ea re meritus, atque ad ea procuranda iussit ab singulis Graeciae civitatibus theoros mitti, qui Panhellenum quoddam concilium constituerent; huic qui intererant concilio, Panhellenes singuli vocabantur [74]). — Ex Atticis autem theoriis partim commemoratae, partim commemorandae sunt quae in Delum et ad quattuor illos Graecorum communes ludos mittebantur, quae Delias, Pythias, Isthmias, Olympias, Nemeas, ut theori illuc missi Deliastae, Pythiastae, Isthmiastae cet. appellabantur [75]). Etiam Dodonam ab Atheniensibus theoriam cum victi-

73) Thuc. I, 25. *οὔτε γὰρ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς διδόντες γέρα τὰ νομιζόμενα.* Diodor. XII, 30. *οἱ δὲ Κορίνθιοι — τοὺς δὲ Κερκυραίους μισοῦντες διὰ τὸ μόνους τῶν ἀποίκων μὴ πέμπειν τὰ κατειθισμένα ἱερεῖα τῇ μητροπόλει.*

74) Corp. Insc. Gr. no. 247. c. n. Boeckhii. no. 351. c. n. 1068. 1072. 1124. 1256. C. O. Mueller Aeginet. p. 157 sq.

75) Harpocrat. Suid. v. *Δηλιασταὶ οἱ εἰς Δῆλον ἐξελθόντες θεωροί.* Hesych. *Δηλιασταὶ οἱ εἰς Δῆλον πεμπόμενοι θεωροί.* Athen. VI, 234. f. *Ἐν δὲ τοῖς κύρβεσι τοῖς περὶ τῶν Δηλιαστῶν οὕτως γέγραπται.* *Πυθιαστάς* formam unus quidem Hesychius v. *ἀστράπτει* habet, analogia autem ita tuetur, quam Welckerus (Addend. ad Aesch. Tril. p. 131.), Schoemannus (in Isaeum p. 367.), alii merito praetulerint formae *Πυθαΐσταί,* quam praeter Stephan. Byz. v. *Πυθώ* etiam Strabo IX, 404. exhibet. *Πυθιασταὶ καὶ Δηλιασταί* in Philochori loco de coniectura rescripsimus; eodem loco *Πυθιὰς θεωρία* extat, Ephorus autem ap. Strab. IX, 422. solum *Πυθιάς* posuit (*ἰέναι τὴν ὁδὸν ᾗ νῦν Ἀθηναῖοι τὴν Πυθιάδα πέμπουσι*) eodem significatu, nisi et hic est, ut ap. Isaeum de Apollod. h. §. 27. *ἥκειν ἐκ τῆς Πυθιάδος* suppleto *ἑορτῆς*, de sollemnitate Pythica intelligendum. De theoria Delum missa omnia in vulgus nota; cf. praeter ea quae supra excitavimus, Heindorfium et Wyttenbachium ad Platon. Phaedon. init; de Pythica omnia occupavit Muellerus de Doriens. I, 239 sq., de Isthmica Welckerus l. c. p. 131 sqq. Olympicam Atheniensium theoriam testantur Demosth. f. l. 380, 21. Pseudo-Andoc. c. Alcib. p. 126. Dinarch. c. Demosth. p. 57. R. Nemeaeam Demosth. Mid. 552, 5.

ma mitti solitam arguit oraculum Dodonaeum [76]), quo neglecti eius officii accusantur; eodem Boeoti quotannis tripoda donarii caussa mittebant; ad Ammonem statam fuisse aliquando Atheniensium theoriam fidem facit navis illa Ammonias, cuius ex superstitibus scriptoribus primus mentionem iniecit Dinarchus; cultus enim Ammonis per Croesum et Cyrenaeos primum ad Eleos, mox est ad reliquos Graecos propagatus [77]), Atheniensibus autem iam Aristophanis temporibus Ammon ut celeberrimi oraculi praeses notus erat, et sacrificium Ammoni ab strategis factum commemoratur in inscriptione quadam, quae Olympiadis CXI. est. Omnium autem deorum unus Apollo, Pythius ille, ni fallor, Theari ipse cognomine colebatur [78]).

Atque haec quidem hactenus, quibus illud si non assecuti certe secuti sumus, ut Graecorum legationes sacras sacris ipsis respondisse atque ad sacrorum naturam aptatas esse pateret, ad quae essent missae; gens autem nulla temere tantum tribuerit illis legationibus quam Graeca.

Sed quorsum haec potissimum ad Vos perscripsimus, Viri amplissimi et doctissimi? Etenim sollemnia si indixissetis sola pomparum magnificentia, ludorum apparatu, animorum remissionibus celebranda, quos eorum in partem vocassetis, deberent etiam ipsi non eo

76) Dem. c. Mid. 531, 15.

77) Boeckh. Corp. Inscr. Gr. I, p. 252. ad no. 157. Oec. Civ. Ath. II, 259.

78) Hesych. s. v.

carere, quod aut lumen quoddam et fastum adderet, aut ad relaxandos animos valeret. Cum laetitiam pietate temperatam indixeritis ex praeteritorum recordatione, ex praesentium adspectu, ex futurorum praesagitione capiendam, quid praeter castas et puras mentes, sine quibus nullae omnino religionis caeremoniae obiri possunt, adferre debebunt, qui ad hilaritatem Vestram aut publice theori mittentur, aut privatim accedent? Primum memoriam, capacem illam non aliquot illustrium nominum eorum, quos, cum hoc seculo apud Vos bonas artes aut docuerint aut didicerint, nulla quidem posteritatis oblivio obscurabit, sed non minus quam Georgia Augusta omnis sibi orbis eruditus vindicat; verum eorum potius, qui ut laudis immortalitati commendarentur, Vestrae universitati et professi sunt se debere, et deberi intellectum est; non artium, quas apud Vos unus vel alter aut coepit colere aut excoluit insigniter, potuisset etiam apud alios excolere, non librorum utut acutissimorum et eruditissimorum, qui editi apud Vos sunt, edi etiam alias potuissent, sed eorum potius librorum, qui ut scriberentur, fecisse Georgia Augusta videtur, sed earum potius artium, quae sunt ea constantia per temporum continuationem a Vestris hominibus factitatae et excultae, ut Vestrae quodammodo videri possint. Ea enim memoria docebit non tantum, quid artes et doctrinae nobilissimis viris, quos fors et casus dici posset in Georgia Augusta congregasse, sed quid Georgia Augusta consortioni debeat, quam mira perseverantia ratio conciliavit. — Dein oculos, non illos ad actum tantum tempus perspicaces ad praesentia autem quasi insolita luce praestrictos, sed praesentis etiam lucis et avidos et capaces. — Denique divinationem futura non hariolantium sed signis numquam fere

ementientibus praesentientium, neque in iis, quae divinitus recondita hoc sintne an illo modo exitura ne interest quidem nostra, curiosorum, sed divina quadam mente latentem caussarum et effectuum cohaerentiam perspicientium. Haec temperet et ingenium livore ita liberum, ut bonis non angatur alienis sed gaudeat tamquam suis, et mens perspiciens vinculo quodam non artes tantum, quae ad humanitatem pertineant, sed artium etiam palaestras contineri, inter Germanicas autem universitates ut studiorum, ut disciplinae, ut morum, ita etiam hominum et docentium et discentium necessitudinem intercedere, eamque non minus quam bonis litteris esse etiam communi patriae salutarem, quippe quae non mediocriter faciat ad colligendos Germanorum animos conciliandosque.

Ita in Vos animati, ita in omnes universitates affecti legatum ad sacra secularia Vestra mittimus non privatum hominem sed qui hoc anno apud nos summo cum magistratu et imperio est, eundem non plane peregrinum Vobis sed civem olim Vestrum, quem, praeter communes omnium, quaedam etiam propriae rationes iubebunt Vobiscum in memoriam redire praeteritae, praesenti gaudere, pro futura Vestra felicitate vota concipere. Is reddet Vobis non pretiosum donarium ex auro factum et gemmis distinctum sed munusculum, quod Vobis tamen acceptum fore speramus, cum ab eo profectum sit, qui nunc apud nos bonas litteras magna cum laude profitetur, Vester tamen olim fuit, Hannoveranus et origine et docendi tirociniis, Gottingensis disciplinae quondam alumnus, quem scimus non minimam voluptatem ea ex re percepisse, quod Gottingensibus potissimum copiis adiutus Gottingensium secularium ludorum caussa de

Borussorum Lithuanica lingua commentatus, potuerit ita eadem opera pietatem et observantiam testari et veteri patriae, quae se genuisset, et novae quae se recepisset. Ita collegae coniunctissimi et eruditissimi **Augusti Friderici Pottii** commentatio „de principatu quum in Slavicis tum in Letticis linguis Borusso-Lithuanicae adiudicando" redit ad Vos primitiarum illarum ad instar, quas ab Graecis coloniis sollemnium caussa missos theoros obtulisse modo narravimus.

Nos autem ita Vobis gratulamur, et nihil magis in votis habemus, quam ut instantia sollemnia ne praesentium animos brevi tantum et celeriter peritura perfundant voluptate et suavitate, sed ut relinquant, quod ad animos conciliandos, ad omnium universitatum salutem pertineat, faciatque, ut bonis artibus suus sit apud principes populosque honos. Valete et nobis ita favete, ut Vestrae existimationis nos quoque perpetuo erimus studiosissimi et cupidissimi.

D. Halis Saxonicis a. d. pridie Idus Septembres MDCCCXXXVII.

Cum hoc de sacris Graecorum legationibus commentariolum esset intra paucissimos dies et scribendum et typis exprimendum, si quae aut auctori aut operis exciderint sphalmata, aequi lectores excusabunt; sic p. VI v. 14 pro θύ lege θύα. Ib. not. 3 pro i n c r e d i b i l e a d d i t t a m e n l. i n c r e d i b i l e t a m e n. p. VII v. 7 l.: θεῦροί. Ib. not. 7 pro e d l. i d. p. VIII v. 6 post B u c a t i u m adde: (A p r i l e m).